

in Nebulis. Quis & Lacedæmonij ingentis molis ferreis nummis vsi legantur, quorum tamen vile admodum erat pretium. Plumbeos verò nummos (è plumbo ne candido an nigro, non satis liquet) Syracusis percussos iussus tyranni Dionysii, Pollux auctor est locuples. Caracallam quoque imperatorem è plumbo deargentato monetam inuulgasse, Dion memorat. At è corio nummos, quos scorteos nominat Hieronymus, in vulgus sparsisse Numa legitur. certè pecuniam de corio bubulo extitisse olim, quo tempore Carthagini fundamenta Dido locauerat, sunt qui autumant ad illum Virgil. versum, Taurino quantum possent circumdare tergo: atque inde pecuniam dictam, quòd ex eo pecore originem sumpsisset, uti à Donato annotatum est. Ceterum qui primus monetam excuderit, ingens controuersia atque emulatio inter scriptores extitit, quando Hermodicen Mide Phrygum regis uxorem prudentem fœminam, audisse primam Cumanis numisma scriptum reliquit Heraclides Ponticus, Phedonem Argium primum cudendæ monetæ auctorem nominat Pollux: eam gloriam Erichthonio apud Athenienses alij asserunt: Lydis attribuit Xenophanes: Naxiis scriptor Aglaosthenes: nec desunt qui in Ægina primum argentum excusum volunt: Callia prætoris Athenis æreum nummum fuisse percussum, Suidas annotat: apud Italos primus id fecit auit Ianus: quæ de caussa apud eam gentem datum illius honori fuit, ut gemini eius caput monetæ referret: eam tamen laudem Saturno propriam esse nonnulli voluerunt.

Neque verò silentio obliteranda sunt

illa, quòd Ætolorum nummas Herculem præferbat claua confringentem Acheloo cornua: Corcyraeus, triremem remigio subactam habebat pro nota: Tenedius securim cum binis capitibus viri fœminæque auersis: Tarentini in sua moneta Tarantem conditorem delphino insidentem habueret: Dymeis capram, quæ ranam protegebat: Crotoniata tripodem Delphicum: Leucadij nauem: Corinthij Pegasus cum Neptuno tridentigero sedente: Lycij leanem cum capra insidente: Naxij barbaturum Bacchum, & cum poculo Satyrum: Chij Harpyiam: Eretrienses Dianæ speciem: Histieis Neptunum ceto insidentem: Metapontini Cererem cum arista: Bœotij muscam alatam, cum ceruo, cantharum Bacchi cum racemo: Herculisque bipennem Threban: Phocenses aquilam & tripodem: Trachinij sedentem Herculem: equum Thessali: Locrorum alij stellam, alij cicadam, alij pugilem: Macedones Hercules clauam, & hircina cornua: Chalcis postomidem: Byzantini delphinum tridenti circumfusum: Thasii Bacchum coronatum & Herculem seruatorem: Rhegini leporem cum curru: binos gallos pugnantes Dardani: Mylæni Sapphus cuius suæ effigiem: Chii Homerum: noctuam Athenienses: Argiui lupum teste Sophoclis interprete, vel murem, ut Pollux refert: Aspēdy palestritas: Træzenii tridentem cum Mineræ facie: Troiani Troiam, id est scropham: Cyziceni leonem: Alexander Macedo bucephalum equum & victoriam alatam: Pyrrhus Palladem hastatam sedentem in solio: Philippus Macedo bigas: Demeitius Neptunum reducem, Augustus Caesar Capricorni sideris notam, sub quo